

Aliorum sententiæ & aphorismi.

Pro honore & dignitate considera

- Decimam domum.
- Dominum eius.
- Partem regni.
- Dominum eius.
- Almuten significatorum regni.
- Tres dominos triplicitatis decimæ domus.
- Tertium dominum triplicitatis octauæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis undecimæ domus.
- Secundum dominum triplicitatis primæ domus.

Almuten significatorum regni sumitur à

- Decima domo
- Domino eius
- Parte regni
- Domino eius
- Sole.

Almuten illorum locorum est significator regni uniuersalis.

S In gradu ascendente, uel decimæ, uel de die cum Sole in eodem gradu, uel de nocte cum Luna in eodem gradu stellam aliquam fixam, naturæ bonorum planetarum primæ aut secundæ magnitudinis, in uno, duobus aut tribus iam dictis locis inueneris, si natus est regie stirpis, aut talis ut possit fieri rex, dic cum consecuturum ingens & amplum regnum. Sin autem neq; regie stirpis est, neq; eius conditionis ut possit rex fieri, habebunt tamen eius iussa, atq; mandata, eandem uim, quam regis imperata, nemo eius mandata transgredietur, perueniet ad maximam exaltationem, & felicissimus ac fortunatissimus erit.

Sol in diurna genitura in sua exaltatione, & Luna in nocturna in sua exaltatione, in ascendente, uel medio cælo, si ascendens est signum regium, & dominus eius signi in ascendente, uel medio cælo, designat nato regnum, si est regij stemmatis, quod si non est regij stemmatis, erit tamen similis regi, aut dux, & autor in consilijs regum.

Cum Sol in diurna genitura & Luna in nocturna reperiuntur, tantum in gradibus suarum exaltationum, significatur nato regnum, aut magna exaltatio.

Item cum alterum, uel utrumq; luminare in sua exaltatione applicat domino ascendente, & dominus ascendente est orientalis in angulo, significatur regnum, aut simile aliquid.

Item si dominus medijs cæli applicat coniunctione domino ascendente, & ambo orientales sint in angulis, in suis exaltationibus, significatur regnum aut simile quid.

Si omnes planetæ applicant Ioui, & Iupiter est in medio cæli orientalis, regnum significat. Similiter si omnes reliqui planetæ sunt in medio cæli orientales, est signum regni, præcipue si maxima pars eorum in suis exaltationibus, aut alijs magnis dignitatibus sit.

Sol in medio cæli receptus & Luna in eius trino uel sextili, regnum significat.

Si fuerit signum medijs cæli Leo, Ariès, uel Sagittarius, & maxime Ariès, uel Leo, & Sol in eo, & pars regis in aspectu fortunarum, natus erit absq; dubio rex. Similiter quando pars fortunæ fortunata fuerit à radijs liberata.

A signo decimæ domus & domino eius, ac Sole in diurnis, accipitur significatio regni in nocturnis à Saturno.